

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0512

0510

0516

0506

0521

0501

0561

0461

0611

0411

1011

0011

Ende

Anfang

indulgentiis (†) preces fudimus. Ab illa capella in capellam S. Marinae venimus et ibi orationibus dictis indulgentias suscepimus (†). Deinde in capellam Salvatoris ivimus et adorato Domino indulgentias accepimus (†). Post illam capellam gloriosae Virginis Mariae ingressi sumus et devotius ea invocata indulgentias recepimus (†). De illa capella in ecclesiae navem venimus. Habet autem illa ecclesia XII columnas, quibus tota fabrica sustentatur, VI in uno et VI in altero latere habens, sicut et ecclesiae nostrae sunt aedificatae in longum. In his autem columnis sunt multae reliquiae magnae reconditae et tabulae pendent ad quamlibet columnam, in quibus depicti sunt sancti, quorum reliquiae ibi continentur et quorum sanctorum festivitas celebratur pro tempore. Illum enim ipsi Graeci ordinem habent, quod in quolibet mense anni una dies celebris habetur, in quo celebrant de omnibus sanctis simul, quorum reliquiae in illa columna sunt reconditae, ut Januarius habet primam columnam cum multis sanctis, quorum omnium festivitas una die illius mensis peragitur (b) et non solum illorum sanctorum festum illo die celebratur, qui sunt in tabula illius columnae depicti vel quorum reliquiae ibi continentur, sed omnium, quorum depositio et dies natalitus illo mense evenit. Sic Februarius habet secundam columnam et Martius tertiam et sic consequenter. Circa quamlibet ergo columnam sunt speciales indulgentiae (†), pro quibus ivimus.

Ideo venimus ad columnam Januarii, eam geniculando circumstetimus et sanctos, quorum reliquiae ibi sunt, invocavimus; sanctos etiam nostros, qui in Latinorum calendariis scribuntur, ibi honoravimus et indulgentias septennes recepimus (†). Demum surgentes ad columnam Februarii accessimus et orantes modo praedicto indulgentias consecuti sumus (†). Deinde ad columnam Martii venimus et orantes devotius indulgentias accepimus (†). Postea columnam Aprilis circumdedimus et sanctos invocantes indulgentias accepimus (†). Ab illa columna ad columnam Maji processimus et ibi prostrati ad moram in oratione indulgentias participavimus (†). Hinc autem surgentes ad columnam Junii ivimus et orando indulgentias acquisivimus (†). Haec autem columna erat suprema in